

conspectum, in sua ac ceterorum Nobilium, Ciuium et Incolarum Ciuitatis et terre nostre Scrisie siue Bag vocate, exhibuit nobis et presentauit quedam priuilegia, pendentibus sigillis confecta, que in se nonnullas libertates et prerogatiuas libertatum eiusdem ciuitatis et terre nostre continuisse dinoscebantur. Sed quoniam eadem priuilegia, siue propter malam et incautam eorundem conseruacionem, siue propter alium quemcunque casum adeo corrupta et vt apparebat aquis destructa erant, ut earum series verbalis nullo modo a quocunque plene et bono modo perlegi poterat; obtulit igitur simul etiam quasdam copias siue exempla eorundem Priuilegiorum, vt dicebat per manus Notarii publici, antequam Priuilegia ipsa totaliter fuissent corrupta, exemplata et transsumpta, tenorum infrascriptorum, supplicans Maiestati nostre humiliter, vt eadem Priuilegia scilicet et omnia et singula in prescriptis copiis et exemplis eorundem contenta, rata, grata et accepta habentes, pro eisdem ciuibus et inhabitatoribus ciuitatis et terre nostre predictae perpetuo valitura roborare dignaremur; quorum quidem Priuilegiorum siue exemplorum eorundem prioris tenor sequitur in hec verba: Nos Johannes, filius olim bone memorie Thome, ac Paulus et Carolus, filij similiter olim felicis recordacionis Caroli Comitis Corbaue etc., memorie commendamus tenore presencium significantes quibus expedit vniuersis, et quorum in presentia presens pagina nostra peruenerit, Manifestum confitemur, quod aduenientes nostri in conspectum Nobiles et prouidi viri Georgius Myrkowych, Nicolaus Jursych et Matheus Bugnich, ciues et habitatores loci Scrisiensis, sua et vniuersorum ciuium et habitatorum loci predicti Scrisiensis in personis, exhibuerunt nobis quasdam litteras priuilegiales predecessorum nostrorum, Clarissimorum Comitum Corbaue, Pociteli et Scrisie, in ipsorum premissorum ciuium et habitatorum loci predicti Scrisiensis et liberas eorundem libertates perpetue et inreuocabiliter duraturas confectis et emanatis sub eorum sigillis consuetis appensione communitas; per fidelia eorundem, vt dicitur, opera exercenda, nec non status decorare cupientes per eosdem, quos semper ab antiquo tempore in suis immunitatibus, consuetudinibus et libertatibus a Regibus et principibus antea habuerunt, retribuendo; — suplicantes nos humiliter ac debita cum instantia, vt easdem litteras, ratas, gratas et acceptas habentes, Nostrum beniuolum consensum pariter et assensum prebentes, nostro Priuilegio approbare, ratificare et confirmare dignaremur; quorum tenor sic incipit: Nos Nicolaus, Tomas et Butcho, filii olim Comitis Budislai, et Paulus, filius olim Comitis Caroli, et Carolus, filius olim Comitis Gregorij, Corbaue, Lyche, Bussane, Scrisie Domini et Comites naturales. Vniuersis et singulis, ad quos presentes peruenerint, notum facimus et manifestum. Quod ad nostram presenciam comparuerunt viri nobiles Vitus Caci-chiewych et Hlapaz Obrosych, Vice et nomine communitatis terre nostre Scrisie siue Bagh, supplicantes humiliter et devote postulantes, vt eis approbaremus et confirmare uolemus eorum iura, libertates et immunitates, ac eorum antiquas consuetudines, quibus omnibus ab antiquo tempore potiti sunt; — nos vero considerantes et uisis dictorum fidelium nostrorum eorumque progenitorum erga nos operum fidelium effectus, nostrosque progenitores, qui semper erga statum nostrum eleuationem et exaltationem non pepercerunt personis suis neque facultatibus, semper persistentes in actu fidelitatis eorum, in nos et in culmine status nostri; que digna opera et fidelia sericia eorum nos inducunt, vt postulationes condignas, iustas et honestas illis graciose et liberaliter annuere, con-